

atque inter singulas res distinguit, quamvis nondum perfectum rationis usum sit assequutus, tum ex divina obligatione, tum ex ecclesiastici iuris praescripto, ad Eucharisticam mensam accedere, non tantum permittatur, quin immo et iubeatur. Nam si quis, vanis fultus rationibus, tam felicem procrastinaret Communionem, tum Eius iura qui singulari amore pueros diligit, tum etiam infantis bonum et utilitatem, quem tanto spirituali bono privaret ac destitueret, profecto laederet.

b) Erudimenta ac notiones quae in candidato requiruntur huc potissimum redeunt, ut praecipua salutis nostrae mysteria [Sacrosanctae, nimirum, Trinitatis ac Unitatis, Incarnationis, Passionis ac Mortis D. N. I. C., necnon aeternam remunerationem] ipse dignoscat, ac praecipue ut inter quotidianum ac divinum panem distinguere sciat. In his, igitur, explicandis praecipua Pastoris boni sollicitudo sit, in quo ut, potiusquam verba, eorum ideam puer capiat, sedulo advigilandum est.

c) Quantum harum ordinationum praxim urgeat sedulo Pastores considerent, ne negligentia vel timiditate nimia laborantes, gravissima sui officii debita quoquomodo pessudent. Huius decreti lectionem in *populo quotannis, paschali tempore, vernacula lingua faciendam*¹, nullo modo nullaque ratione Parochi omittant; eius genuinam mentem per annum in eorum ad populum sermonibus attente, exacte, ac reverenter explicant. Parentum in re obligationes recolant ac assidue prudenterque urgeant. Si quos vero ex eis negligentes viderint, ut tanto ac praeciso eorum muneri quamprimum satisfaciant, sedulo curabunt. Enimvero tum huius decreti littera, tum eius mens nullam in re epikeiam ferunt, et, generatim, in utrisque interpretandis favore puerorum decernendum est.

d) Attamen tum in remota puerorum institutione, tum in proxima eorum praeparatione, industriae omnes tanto Sacramento dignae, adhibendae erunt, quarum gratia genuinum huius actus momentum, infantes percipiunt. Illa vero praxis qua, saltem per triduum, a communi separati consortio communicandi seorsim habentur, ut in solitudine, ac sermonibus eorum intelligentiae aptis², ad tantum peragendum opus digne parentur, numquam satis commendari potest. — Pastor bonus de pergravissimo Primae Communionis momento recogitans, ut ad maiorem Dei gloriam in animarum bonum ipsa cedat, nullam omittet industriam. Ex ea, enim, christiana ac practica puerorum vita incipit a

¹ Pius PP. X. *Quam singulari* cit. teced. cit. encycl. *Acerbo nimis* cit.

² Cfr. Eund. *Ibid. ad V pag. an-* pag. 516 b.

qua, saepe, sequenti viam sternitur. Semper vero, etsi multi a recto declinent tramite, attamen adeo in procelloso vitae aequore hanc solemnitatem numquam oblivioni dant ut, interdum, Divinum quem, tum dictis, tum operibus in vita spreverunt Hospitem, eius sub occasu, eorum magno cum gaudio, poenitentes devoti suscipiant!

d) Quoad Primae Communionis tempus ac rationes adeo consuetudines loci ac peculiare in re Ordinarii ordinationes serventur, ut *dum semel aut pluries in anno*¹ habeatur, semper perquam solemniter religiosissima haec actio agatur. — Ne vero procrastinationis praetextus nemini praebeatur, dum externa tanto Sacramento debita servatur reverentia, exterior puerorum habitus haud nimis urgendus. Non, enim, hoc, sed animas Bonus respicit Iesus, qui eius Pretiosissimi Sanguinis filios amplexari, eisque continuo immorari desiderat. Dum, igitur, primum, quantum fieri potest curatur, alterum in primis et ante omnia, adeo colatur, quo Divini Hospitis sollicitudini dignius satisfit. Cedant omnia, at Iesus nunc et in aeternum triumphet!

§ V. De Sacrae Synaxis frequentatione.

SUMMAE RERUM. — 349. Animadversiones praeviae. — 350. Quae in re quoad pueros SS. D. N. Pii PP. X ordinationes extent. — 351. Quaedam Pastori in re memorantur. — 352. Quoad fideles omnes canonum praecepta quae sint. — 353. Concluso.

349. — Quemadmodum corporibus, sic et animis sua alimenta sunt, ne si multo tempore ieiunii languidique permanserint, in laboriosa humanae vitae peregrinatione deficiant. Ideoque Pane Vitae qui de coelo descendit, Sacrosancto nimirum Christi Corpore, quod in Eucharestia vere continetur, fideles semetipsos cibare, ac populum sibi commissum pascere Pastores tenentur. Enimvero, inter religionis Mysteria, Sanctissimum Eucharestiae Sacramentum eminet, quo gratiae auctor Christus Iesus, Panis Angelicus, fit panis hominum. — Cum autem ad nuptiales illas coelesti Agni epulas, non tantum vocandi sed et compellendi homines sint, ut fideles omnes frequentissime et maxima cum pietate ad vivificam Christi Carnem, quae vitam mundo dat, accedant, Pastores satagant. Divinus, enim, ille Amor, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum², non tantum ardentissimo flagrat desiderio ut puerorum animas quamprimum sibi coagmentet,

¹ Decret. *Quam singulari* cit.

² Cfr. *Prov. VIII, 31.*

sed etiam [ac potissimum] ut sive cum ipsis, sive cum coeteris christifidelibus omnibus, pactam semel unionem, crebra ac frequenti visitatione, confirmet renovetque. Et merito: *siquidem refrigescente hominum pietate, procul dubio remedium nullum aliud efficacius excogitari potest, quo elanguentia christianorum corda, ad Deum redamandum vividius excitentur, quam frequens et quotidianus ad sacram Synaxim accessus, in qua Ille sumitur qui fons est ardentissimae caritatis*¹. Non tantum, igitur, Prima Puerorum Communio, sed et coeterorum omnium ad S. Synaxim frequentiam a Pastoribus quam maxime curanda est, ut vere divino huic desiderio ac studio, pro viribus, morem gerant. — Qua in re, ut ex ordine procedi possit, quae quoad SSmae Eucharistiae frequentiam erga pueros praestare Pastor debeat primum recolemus, quae deinde cum christifidelibus omnibus memorabimus; quoad aegrotantes, enim, jam diximus².

350. — Quoad infantes sapientissime SS. D. N. Pius PP. X jubet:

Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem, iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et Mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint, praeterea, quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant³.

351. — In re sequentes animadversiones prae oculis habeantur:

a) Perniciosissimam consuetudinem illam qua, Prima comunione peracta, adeo proprio pueri relinquuntur marti, ut, quoad ad Sacram Synaxim frequentiam, fere nulla Pastori cura est, sedulo ipse devitabit. Si, enim, tum Supernus Hospes [praesentia Sua Sancta], tum Parochus pastoralibus suis industriis omnibus, salutaria christianae observantiae semina a Divino eorum in animis immissa Amore, haud excolet, qui auspiciantur fructus minime haberentur, nimirum, fere omne huius salutis medii ubertas ad nihilum redigeretur.

b) Idcirco, in primis et ante omnia, frequentem ad Communionem accessionem in pueris curandam, quo fiet ut, saltem, dominicis ac festis diebus omnibus hoc Sacratissimo pane alantur ipsi, quo, ad passionum stimulos refellendos, ac per christianae observantiae iter incedendum nil efficacius salutariusque haberi potest⁴. — Neque puerorum conscientiae incolumitas in medio proferenda est, quum, ut plurimum, eorum in

¹ S. R. C., 10 april 1907.

² Cfr., pag. 395.

³ Decret. *Quam singulari* cit.

⁴ Cfr. S. C. C. *Sacrosanta Tridentina Synod.*, 20 dec. 1905 relat. ad pag. seq.

aetate graves conscientiae noxae haud pertimescendae sint, quas, si rationabiliter suspicari possint, cum confessario eluere facile erit. — Ut vero ad Sacram Synaxim habitualiter pueri accedere valeant, generalis confessoris venia sufficit, qui [rationabili absque de causa] eam denegare nullo modo potest. Regulae ad rem, de sacramentali confessione agentes, recolimus jam¹, et quoad pueros moribundos alibi².

c) Sed et assidua Pastoris cura divinis industriis accedere debet, qua pueri de SS. Eucharistia generaliter edocti, progressive iuxta eorum intelligentiae evolutionem, perfectiorem de tanto Sacramento agnitionem adipiscantur. Enimvero si haec industria desideraretur [ut infra opportunius explicabimus] gravissimo muneris sui debito Pastor deficeret, qui in sacra catechesi fideles omnes diligenter instruere, ex conscientiae officio, perquam severe adstringitur³.

352. — Ulterius procedendo, quae pro christifidelibus omnibus canonica iussa nuperrima edita sint indigitanda veniunt, nimirum:

I. Communio frequens ac quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditioni pateat, ita nemo qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

II. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, et arctius coniungi, ac divino illi pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

III. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes, a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

IV. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedit, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

V. Ut frequens ac quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiusque merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communionem quemquam avertant qui in statu gratiae reperitur, et recta intentione accedat.

VI. Cum autem perspicuum sit, ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sump-tione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, anima virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmiter sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam⁴, christianum

¹ Cfr. pag. 367.

² Cfr. infra *De Extrema Unctione*.

³ Cfr. indic. alphabet. *Catechismus*.

⁴ Par. II, n. 60.

populum ad hunc tam pium ac tam salutarem sacramenti usum, crebris admonitionibus, multoque studio cohortentur ¹.

353. — De tam laeto argumento finem facientes hoc unum memoramus ut, nempe, Bonus Pastor illius Divinae Veritatis intentionem reputans, quae in mundum venit ut vitam haberent oves, et *abundantius haberent*², Ecclesiae sollicitudini quae nihil antiquius habet ut coelestis Sponsi singulari amori respondeat, pro viribus satisfacere contendat. Hac quoque in re, enim, *melior est obedientia quam victimae*³.

Art. V.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

§ I. De Matrimonio quoad ecclesiasticas leges in genere.

SUMMAE RERUM. — 354. Animadversiones praeviae. — 355. Quae, canones juxta, generalis huius Sacramenti idea sit.

354. — Quamquam, docente Apostolo⁴, immo Ipsa Veritas testante⁵, in virginitate aut coelibatu vivere, quam matrimonio iungi melius beatiusque sit, attamen perpetui indissolubilisque nexus quem naturalis quidem amor init, Gratia vero Christi perficit, et ad Sacramenti nobilitatem adducit, non parva dignitas est. Bonus, igitur, Pastor in hoc venerabile Sacramentum, quo non modo in humanae naturae remedium ac necessitatem, frequentior ac communis perfectionis via ac ratio est, sed et humanae familiae principium ipsiusque societatis omnis veluti germen exstat, peculiari reverentia ac ratione agi dignum iustumque est.

355. — Haec quoque sacri praecedant canones, in quibus recolendis, quum agatur de Sacramento qui non tantum licitatem, sed, et ex divino jussu validitatem a lege accipiat, satis completam synopsis⁶ tum ex vetere, tum ex novissimo iure conflata, exhibemus. Igitur:

I. Matrimonium naturale, est « maris et feminae conjunctio legitima individuum vitae consuetudinem retinens »⁷, idest, contractus legitimus [in fieri] inter marem et feminam, individuum vitae consuetudinem [in facto esse] afferens.

¹ S. C. C. *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dec. 1905 — Cfr. Eamd. 12 feb. 1679; S. C. EE. et RR., 12 august. 1891; S. C. C., 13 sept. 1906: Leo XIII encycl. *Mirae caritatis*, 22 maj 1902.

² Cfr. *Joann.* X, 10.

³ *I Reg.* XV, 22.

⁴ Cfr. *I Corinth.* VIII, 36-38.

⁵ Cfr. *Math.* XIX, 10.

⁶ Cfr. Deshayes et DD. *cit.*

⁷ Cap. II, *De Praesumpt.*

a) Materia¹ « naturalis contractus » sunt ipsae contrahentium « personae », [materia remota] prout sibi jus matrimoniale « tradentes » [materia proxima]; quae etiam, sub alia tamen consideratione, efficiens² causa matrimonii dicuntur.

b) Formalis causa, sive essentiae matrimonii « in fieri » consistit in ipso legitimo contrahentium consensu³ de mutua traditione corporum; essentia matrimonii « in facto esse » constituitur, non quidem usu corporum⁴, sed vinculo quo conjuges, mutua iurum et officiorum obligatione, remanent devincti.

c) « Primarius » finis operis⁵ matrimonialis est procreatio, et deinde educatio prolis; « secundarius », tum vitae mutuae adiutorium et solamen, tum, in praesenti statu naturae lapsae, concupiscentiae remedium⁶.

d) Finis operantis in matrimonio, praeter ipsum finem operis, esse potest absolute, absque detrimento validitatis, quaelibet intentio extrinseca matrimonio, bona vel etiam mala, quae, tamen ipsi substantiae contractus non sit opposita. Licet ergo inire conjugium, eoque uti, propter finem [honestum tamen] a finibus ipsis matrimonii diversum⁷.

II. Matrimonium christianum⁸ est sacramentum quod describitur: « Contractus legitimus et indissolubilis inter virum et mulierem, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad generationem prolis, elevatus a Christo Domino ad dignitatem sacramenti ». Ad rem:

a) In matrimonio christiano contractus non est « a sacramento dissociabilis », atque ideo non potest inter christianos contractus verus et legitimus consistere qui non sit eo ipso sacramentum⁹.

b) Materia huius sacramenti est mutui juris « traditio » externe manifestata; forma vero: a) « naturalis intrinseca » est ipse contrahentium consensus, sive traditionis alterius acceptatio sensibili signo expressa; b) « legalis extrinseca » [ubi viget Tridentinum] est iuris positivi solemnitas ad ejus valorem requisita, videlicet praesentia Parochi et testium per decreta *Tametsi* ac nuperrimum *Ne temere* [2 aug. 1907] praescripta.

c) Ministri¹⁰ huius sacramenti sunt ipsi contrahentes, non autem Parochus, cujus est tantummodo in hac materia testis qualificati partes agere.

d) Subjectum huius sacramenti est quilibet christianus, nullo impedimento dirimente, vel prohibitivo ligatus.

III. Omnibus et singulis ab ipsa natura « jus » est et generatim « inclinatio » ad matrimonium; nemini tamen per se obligatorium est; ideoque licitus, imo potior est coelibatus. Nulla ergo humana auctoritas cuique valet praecipere aut prohibere matrimonium.

IV. Proprietates¹¹ praecipuae matrimonii sunt unitas et indissolubilitas, quae, radicaliter in natura fundatae, speciali modo firmatae inveniuntur in matrimonio christiano. — Matrimonium, enim, ex sui constitutione, dumtaxat inter duos esse debet; ipsi ergo repugnat simultanea « polygynia », et a fortiori, « polyandria ». —

¹ S. Alph., VI, 880.

² Id., 897.

³ D'Annibale, *Op. cit.* II, 408.

⁴ Lehmkühl, II, 865.

⁵ Genes., I, 28; S. Thom., IV sentent., d. 39, q. 1 et 2; Gasparri, *Op. cit.*, n. 208.

⁶ I Corinth. VII, 2. 5. 9.

⁷ S. Alphons., VI 881.

⁸ Leo XIII, *Arcanum*, 1 febr. 1880, Trid. XXIV. c. 1.

⁹ Leo XIII, *Arcanum cit.*; Syllab. 67, 73; Pius IX, *Apostolicae*, 1851; Pius VIII, *Humilitati*, 24 maj, 1829.

¹⁰ Cfr. Benedict. XIV, *Synod.* VIII, XIV, 15; Lehmkühl, II, 691.

¹¹ Cfr. Leo XIII, *Arcanum cit.*